

A Quis facit iudicium calumniam patientibus.] Considerandum hic est, quod non simpliciter dicit, Quis facit iudicium: sed, Qui facit iudicium calumniam sustinentibus. Duo sunt iudiciorum Dei genera. Vnum, quo puniuntur reprobis: alterum, quo liberantur iusti & innocui. In priori genere per iustitiam iudicia. riam cōdemnantur fontes: in posteriori, cuius hic sit mentio, per benignitatem Dei liberantur inson- tes, calumniam sustinentes. Coincidunt quidem ista in ipso opere iudicij diuini: verum hactenus differunt, quod prius reproborum, posterius vero insontium iudicium vocatur.

OBSER.
Ver. 7.

Dat escam esurientibus.] Dat escam Deus omni carni, sicut alibi canitur. Notandum igitur est hoc loco, quod non simpliciter dicit, Dat escam sed addit, Esurientibus. Igitur admonemur, illis potissimum sperandum esse in Dominum, qui hoc in Mundo ad famis rediguntur angustiam. Etenim, qui etiam superflua non esurientibus, sed luxuriantibus suppeditat, quomodo necessaria negaret esurientibus, præsertim cum vobis escæ proprius sit, quo esuries compescatur?

Dominus soluit compeditos.] Vide supra Psalm. 68. versu 6 & Psalm. 107. versu 14.

Domini illuminat cœcos.] Cœcus est, qui oculos quidem habet, vsum vero illorum: id est, videndi facultatem non habet. Cœcum illuminare, est oculis illius lucem ac videndi facultatem dare. Hoc autem non est nisi eius, qui oculos facit, creator & conditor omnium. Admonemur primum, quam non satis sit habere membra vitaे nostrae necessaria, nisi & vsum illorum accipiamus. Quæ utilitas pe- dum, ingredi non valentium? Quæ manus aridarum & contractarum? Quæ aurum sine auditu? Nulla planè. Sic nec oculorum vlla est, si desit vlos videndi. Deinde, vsum membrorum esse non aliunde, quam vnde sunt ipsa membra. Vt runque à solo Deo. Ipse rerum opifex operum suorum, ut solus est author, ita & solus est conservator ac reparator. Iudicium facere calumniam patientibus, panem dare esurientibus, soluere compeditos, erigere depresso, diligere iustos, custodire adue- nas, subleuare pupilos & viduas, potest etiam homo, & hominibus ista præcipiuntur: verum cœcos illaminare, claudos restituere, mutis linguis soluere, surdis aures aperire, manus aridas curare, & quæ alia sunt huiusmodi, nec est in facultate humana, nec hominibus diuino mandato preceptum, sed gloriae opificis reseruatum. Quapropter huiusmodi diuinæ non solum benignitatis, sed & virtutis argumenta, & reseruata fuerant Christi diuinitati comprobantæ, & singulari consilio Dei Prophe- ticus vaticinijs prædicta. Gloriam hanc opificis Dei inuertunt, & ad creaturas transferunt, qui cor- porum ac membrorum suorum curationem arti medendi impossibilem, non à Deo creatore suo, sed vel ab angelis, vel à mortuis sanctis petunt.

OBSER.
Ver. 8.

Dominus erigit depresso.] Vide Psalm. 90. præcedenti, versu 14.

Dominus diligit iustos.] Vide Psalm. 5. versu ultimo, quid sit esse iustum: & vnde sit, quod iusti à Domino diliguntur. Vide Psal. 11. versu ultimo. Verè felices sunt, qui diliguntur à Domino. Hinc illa de iustis prædicantur in Psalmis, quod benedicantur à Domino, Psalm. 5. quod Deum in ge- neratione sua habeant. Psal. 14. quod intenti sint in illos oculi Domini, Psalm. 34 quod sustenten- tur à Domino, quod non deserantur, quod salus eorum sit à Domino, Psalm. 37. quod non sinantur per- petuo fluctuare, Psalm. 55. quod exaltanda sint eorum cornua, Psalm. 75. quod germinaturi sint instar palmarum, Psalm. 92. quod memoria eorum futura sit sempiterna, Psalm. 112. & pleraq; consimilia alia. Simil illud admodum stupendum est, quod qui vsque adeo sunt amabiles, vt à Domino diligentur, tam infenso odio filiorum huius sunt obnoxii: deniq; qui non perituri, sed veris ac sempiter- nis bonis sunt felices, tam raros sortiantur æmulatores in hoc Mundo, immo quod adhuc insanius est, pro infeliciissimis habentur. Sed hæc est Mundi malitia ac cæcitas.

OBSER.
Ver. 9.

Dominus custodit aduenas.] Quæ notanda sint de aduenis, viduis ac pupillis, vide Psalm. 94. versu 6.

Et viam impiorum disperdit.] Vide Psalm. 1. versu ultimo.

OBSER.
Ver. 10.

Dominus regnat in seculum.] Vide Psal. 10. vers. 16. Psal. 93. vers. 1. Psal. 99. vers. 1.

Deus tuus Sion.] De Sion vide supra 2. vers. 6. & Psal. 87. vers. 2.

PSALMVS CXLVII.

ARGUMENTVM PSALMI.

Prouocat Psaltes populū Dei, ac singulariter ciues Hierusalem ad laudandum Dominū, propter illius benevolentiam erga ipsos, ac ciuitatem Sion declaratam. Dividunt autem Arabs, Gracis & vulgata Latina Psalmum hunc in duos, & à duodecimo illius versu Psalmū 147. inchoant. Nos tamē Ebraicam diuisionem retinebimus, quam & Hieronymus secundam esse iudicauit.

- AUDATE** Dominum, quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniam **VERS. I.**
iucundum decet laus.
2. Aedificans Hierusalem Dominus, exules Israëlis congregabit.
 3. Qui sanat contritos corde, ac medetur doloribus eorum.
 4. Qui numerat numerum stellarum, omnibus nomina vocat.
 5. Magnus Dominus noster, & magnus virtute: intelligentie eius non est numerus.
 6. Attollit afflictos Dominus, prosternit impios usq; ad terram.
 7. Cantate Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.
 8. Qui obducit cælum nubibus, parat terræ pluviā, producit in mōtibus herbam.
 9. Qui dat iumentis cibum ipsorum, pullis coruorum inuocantibus.

10. Non